



The Holy See

**IOANNES PAULUS PP. I LITTERAE APOSTOLICAE *CONSTAT CHRISTIFIDELES* BEATA MARIA VIGO VULGO
«NUESTRA SEÑORA DE LA MONSERRATE»**

NUNCUPATA PRINCIPALIS APUD DEUM PATRONA

DIOECESIS MAIAGUEZENSIS IN PORTU DIVITE CONFIRMATUR Ad perpetuam rei memoriam. Constat Christifideles

Ecclesiae Maiaguezensis in Portu Divite gloriosam Deiparam Virginem Mariam, vulgo «Nuestra Señora de la

Monserrate» appellatam, summis honoribus excolere, constanti amore diligere, benignissimam Matrem habere. Cum

igitur Ven. Frater Ulixes Casiano Vargas, Episcopus Maiaguezensis, nuper petierit ut electio Beatae Mariae Virginis sub

titulo «Nuestra Señora de la Monserrate» ut Patronae principalis suae dioecesis, clero et populo optante, a se rite

probata, ab hac Apostolica Sede confirmaretur, ad normam scilicet «Instructionis de Calendariis particularibus atque

Officiorum et Missarum Propriis recognoscendis», n. 30, Vos cupimus tum Pastoris, quem diximus, votis concedere tum

egregiam pietatem istius catholicae communitatis in praecelsam Dei Genitricem peculiari benevolentiae Nostrae

documento commendare aptiusque augere. Comprobatis ergo iis, quae Sacra Congregatio pro Sacramentis et Cultu

Divino, factis a Nobis facultatibus, hac in re egerit, de summa Nostra potestate, harum Litterarum vi perpetuumque in

modum Beatam Mariam Virginem sub titulo «Nuestra Señora de la Monserrate» principalem apud Deum Patronam

dioecesis Maiaguezensis confirmamus, omnibus adiectis iuribus et liturgicis privilegiis iuxta rubricas consequentibus.

Ceterum volumus ut hae Litterae Nostrae religiose serventur suosque effectus sive nulle sive in posterum habeant.

Contrariis quibusvis non obstantibus. *Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XIX mensis Iunii,*

anno MDCCCCLXXX, Pontificatus Nostri secundo. AUGUSTINUS Card. CASAROLI, *a publicis Ecclesiae negotiis* ©

Copyright 1980 - Libreria Editrice Vaticana